

nem non tolerantes, consenserunt iniquis: sic enim hæserunt in terra. Sed quare dicti sunt venter, nisi quia carnales sunt: ut os Ecclesiæ in sanctis sit, in spiritalibus sit; venter Ecclesiæ in carnalibus sit? Itaque os Ecclesiæ eminent; venter absconditus est, tanquam mollior et infirmior. Hoc significat quodam loco Scriptura, ubi quidam dicit se accepisse librum; « Et liber ipse dulcis erat, inquit, in ore meo, et amarus in ventre meo<sup>1</sup>. » Quid est hoc, nisi quia præcepta summa quæ capiunt spiritalia, non capiunt carnales; et de quibus gaudent spiritalia, contristantur carnales? Liber iste, fratres, quid habet? Vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Quam dulcis in ore Ecclesiæ? Ab omnibus spiritalibus factum est. At vero carnali cuicumque dixeris: « Fac hoc: » facilius a te tristis recedit, sicut ille dives a Domino<sup>2</sup>, quam facit quod dictum est. Quare autem tristis recessit, nisi quia liber ille dulcis est in ore, et in ventre amarus? Dedisti nescio quid auri et argenti; ventum est ad hunc articulum, ut nisi perdas, forte aliquod peccatum committas, injuriam forte ingeras Ecclesiæ, blasphemare cogaris: posito itaque in angustiis, aut damno pecuniæ, aut damno justitiæ, dicitur tibi: Perde potius pecuniam, ne perdas justitiam: tu autem cui non dulcis est in ore justitia, sed adhuc in illis membris infirmus es, quales in ventre deputat Ecclesia; contristatus eligis aliquando amittere aliquid de justitia, quam vel nummum de pecunia, et percute te damno graviore, implens saccellum tuum, et exinaniens cor tuum. Fortassis ergo de illis dixerit: « Hæsit in terra venter » noster. »

XXVI. « Exurge, Domine, adjuva nos<sup>3</sup>. » Et vere, charissimi, exurrexit et adjuvit. Namque cum exurgeret,

<sup>1</sup> Apoc. x, 10. — <sup>2</sup> Subaud. cui dictum est: *Vende omnia*, etc. — <sup>3</sup> Psal. XLIII, 26.

id est, cum resurgeret, et gentibus innotesceret, cessantibus persecutionibus, etiam illi qui hæserant in terra, eruti sunt de terra, et agentes pœnitentiam redditi sunt corpori Christi, quamvis infirmi, quamvis imperfecti, ut compleretur in eis: « Imperfectum meum viderunt oculi » tui, et in libro tuo omnes scribentur<sup>1</sup>. Exurge, Domine, » adjuva nos: et redime nos propter nomen tuum: » hoc est, gratis; propter nomen tuum, non propter meritum meum; quia tu dignatus es facere, non quia ego dignus sum cui facias. Nam et hoc ipsum quod non sumus obliti te, et non recessit retro cor nostrum, quod non expandimus manus nostras ad Deum alienum, nisi te adjuvante unde possemus? nisi te intus alloquente et exhortante, non deserente, unde valeremus? Ergo sive patientes in tribulationibus, sive gaudentes in prosperitatibus, redime nos; non propter meritum nostrum, sed propter nomen tuum.

## ENARRATIO

## IN PSALMUM XLIV (13).

## Sermo ad plebem Carthaginensem.

Hunc<sup>2</sup> Psalmum sicut vobiscum cum exultatione cantavimus, ita nobiscum cum attentione consideretis peto. Cantatur enim de sanctis nuptiis, de sponso et sponsa, de rege et plebe, de Salvatore et de his qui salvandi sunt. Qui cum veste nuptiali venit ad nuptias<sup>3</sup>, gloriam quærens

<sup>1</sup> Psal. cxxxviii, 16. — <sup>2</sup> Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 483-485. — <sup>3</sup> Matth. xxii, 11.

sponsi, non sua, non solum libenter audit, quod solet esse etiam hominum spectacula quærentium, non facta exhibentium: sed etiam mandat cordi, quod non ibi vacet, sed germinet, erumpat, crescat, perficiatur, assumatur. Oportet enim nos esse, quibus hoc cantetur, filios Core, quod habet titulus Psalmi. Erant enim isti quidam homines: verumtamen omnis inscriptio Litterarum divinarum aliquid innuit intelligentibus, et non tantum auditorem, verumetiam cognitorem desiderat. Interrogamus enim vim hebraïci verbi, quid sit Core: et sicut se interpretationes habent omnium verborum in Scriptura positurum, renuntiatur nobis, filios Core interpretari filios calvi. Quod nomen non ad irrisionem accipiatis, ne inveniamur in sensu puerili, quales pueros legimus in libro Regnorum, insultantes Elisæo sancto prophetæ, et clamantes post ipsum: «Ascende, calve, ascende, calve<sup>1</sup>.» Tales enim pueros stulte garrulos, et in suam perniciem maledicentes; exeuntes de sylva bestię comederunt. Hoc scriptum est, et ubi sit scriptum, commemoravimus: qui meminerunt, recognoscant; qui non meminerunt, legant; qui non legerunt, credant. Quod ergo illud factum figuravit in futurum, non nos debet apprehendere. Significati sunt enim in illis pueris stulti homines, habentes ignorantie sensum: quales nos non vult esse Apostolus, ubi dicit: «Nolite pueri esse mentibus<sup>2</sup>.» Et quia Dominus invitaverat nos ad imitationem puerorum, quando ante se parvulum posuit, et ait: «Nisi quis fuerit ut puer iste, non intrabit in regnum cœlorum<sup>3</sup>:» ibi quoque Apostolus cautus, ubi revocat a mente puerili, vocat rursus ad imitationem puerilem: «Nolite, inquit, pueri effici mentibus, sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis.» Quem delectat imitari puerum, non delectet impe-

<sup>1</sup> 4 Reg. II, 23. — <sup>2</sup> 1 Cor. XIV, 20. — <sup>3</sup> Matth. XVII, 2.

ritia, sed innocentia. Illi vero ex imperitia insultabant Sancto Dei calvo, et clamabant post eum, «Calve, calve.» Factum est ut a bestiis consumerentur: et figuraverunt homines in eadem mente puerili stulte irridentes quemdam calvum; quia in Calvarie loco crucifixus est<sup>1</sup>. Possessi sunt ergo tales velut a bestiis, hoc est, a dæmonibus, a diabolo et angelis ejus, qui operatur in filiis diffidentie. Tales pueri erant, qui ante sacratum lignum stantes caput agitabant, et dicebant: «Si filius Dei est, descendat de cruce<sup>2</sup>.» Hujus nos filii sumus, quia filii sponsi sumus: et nobis inscriptus est Psalmus iste, cujus titulus dicitur, «Filiis Core, pro his quæ commutabuntur<sup>3</sup>.»

II. Quid ego exponam quid sit, «Pro his quæ commutabuntur?» Quid ego dicam? Hoc omnis mutatus agnoscit. Qui audit hæc, «Pro his quæ commutabuntur,» videat quid erat, et quid nunc sit. Et primo ipsum mundum videat commutatum, nuper adorantem idola, modo adorantem Deum; nuper servientem iis quæ fecit, modo ei a quo factus est. «Pro his quæ commutabuntur.» Videte quando dictum sit. Modo jam residui Pagani mutata expavescunt: et qui nolunt mutari, vident refertas ecclesias, templa deserta; hac celebritatem, ibi solitudinem. Mirantur mutata, legant prædicta: aurem accommodent promissori, credant exhibitori. Sed et unusquisque nostrum, fratres, ex veteri homine in novum mutatur; ex infideli fidelis sit, ex raptore largitor, castus ex adultero, beneficus ex malefico. Ergo cantetur nobis, «Pro his qui commutabuntur:» et sic incipiat describi, per quem commutata sunt.

III. Sequitur enim, «Pro his quæ commutabuntur,» filiis Core, in intellectum, Canticum pro dilecto<sup>4</sup>. Nam dilectus ille visus est a persecutoribus suis, sed non

<sup>1</sup> Matth. XXVII, 33. — <sup>2</sup> Ibid. 39. — <sup>3</sup> Psal. XLIV, 1. — <sup>4</sup> Ibid.

in intellectum. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent<sup>1</sup>. » Ad hunc intellectum oculos alios quærebat ipse, cum diceret : « Qui me videt, » videt et Patrem<sup>2</sup>. » Sonet eum jam Psalmus : gaudeamus in nuptiis, et nos erimus cum iis qui fiunt nuptiæ, qui invitantur ad nuptias ; et ipsi invitati sponsa est. Etenim sponsa Ecclesia est, sponsus Christus. Solent dici ab scolasticis carmina quædam uxores ducentibus et nubentibus, quæ vocantur epithalamia ; quidquid ibi cantatur, ad honorem cantantur sponsi et sponsæ : an forte et in nuptiis istis, quo invitati sumus, thalamus non est ? Et unde dicit alius Psalmus, « In sole posuit tabernaculum » suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo » suo<sup>3</sup> ? » Coniunctio nuptialis, Verbum et caro : hujus conjunctionis thalamus, Virginis uterus. Etenim caro ipsa Verbo est conjuncta : unde etiam dicitur, « Jam non duo, » sed una caro<sup>4</sup>. » Assumpta est Ecclesia ex genere humano, ut caput esset Ecclesiæ ipsa caro verbo conjuncta, et cæteri credentes membra essent illius capitis. Nam vis videre quis venerit ad nuptias ? « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum<sup>5</sup>. » Gaudeat sponsa amata a Deo. Quando amat ? Dum adhuc foeda. « Omnes enim peccaverunt, ait Apostolus, et egent gloria Dei<sup>6</sup>. » Et iterum, « Etenim » Christus pro impiis mortuus est<sup>7</sup>. » Amata est foeda, ne remaneret foeda. Non enim vere foeda amata est, quia non foeditas amata est. Nam si hoc amaret, hoc servaret. Evertit foeditatem, formavit pulchritudinem. Ad qualem venit, et qualem fecit ? Veniat jam ipse in verbis prophetis ; ecce ipse sponsus procedat nobis : amemus illum ; aut si invenerimus in eo aliquid foedi, non amemus. Ecce

<sup>1</sup> 1 Cor. ii, 8. — <sup>2</sup> Joan. xiv, 9. — <sup>3</sup> Psal. xviii, 6. — <sup>4</sup> Matth. xix, 6 ; et Ephes. v, 32. — <sup>5</sup> Joan. i, 1. — <sup>6</sup> Rom. iii, 23. — <sup>7</sup> Id. v, 6.

ipse invenit multa foeda, et amavit nos : si aliquid foedi invenerimus in eo, non amemus. Quia et hoc ipsum quod carnem indutus est, ut de illo etiam diceretur : « Vidimus » eum, et non habebat speciem neque decorem<sup>1</sup> : » si consideres misericordiam qua factus est, et ibi pulcher est. Sed Judæorum personam gerebat Propheta, cum diceret : « Vidimus eum, et non habebat speciem neque » decorem. » Quare ? Quia non in intellectum. Intelligentibus autem, « Et Verbum caro factum est<sup>2</sup>, » magna pulchritudo est, « Mihi autem absit gloriari, dixit unus » eorum Sponsi, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi<sup>3</sup>. » Parum est ut non inde erubescas, nisi etiam et glorieris. Quare ergo non habuit speciem neque decorem ? Quia Christus crucifixus, Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitia. Quare autem et in cruce habuit decorem ? Quia quod stultum est Dei, sapientius est quam homines ; et quod infirmum est Dei, fortius est quam homines<sup>4</sup>. Nobis ergo jam credentibus, ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, Verbum apud Deum : pulcher in utero Virginis, ubi non amisit Divinitatem, et sumpsit humanitatem : pulcher natus infans Verbum ; quia et cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria mansuetorum<sup>5</sup>. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra ; pulcher in utero, pulcher in manibus parentum ; pulcher in miraculis, pulcher in flagellis ; pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem ; pulcher deponens animam, pulcher recipiens ; pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in cœlo. In intellectum audite Canticum, neque oculos vestros a splendore pulchritudinis illius avertat carnis infirmitas.

<sup>1</sup> Isai. lxi, 2. — <sup>2</sup> Joan. i, 14. — <sup>3</sup> Gal. vi, 14. — <sup>4</sup> 1 Cor. i, 23 et 25. — <sup>5</sup> Luc. ii, 8-14 ; et Matth. ii, 1.

Summa et vera pulchritudo justitia est : ibi illum non videbis pulchrum, ubi deprehendis injustum : si ubique justus, ubique decorus. Veniat ergo nobis inspiciendus oculis mentis, descriptus a quodam laudatore suo Propheta : ecce incipit.

IV. « Eructavit cor meum verbum bonum<sup>1</sup>. » Quis dicit, Pater, an Propheta? Intellexerunt enim quidam Patris personam dicentis, « Eructavit cor meum verbum bonum, » commendantis nobis nativitatem quamdam ineffabilem. Ne forte putares aliquid assumptum, unde Filium generaret Deus; quemadmodum homo sibi assumit aliquid unde generet filios, conjugium scilicet, sine quo prolem procreare homo non potest: ne igitur putares aliquo conjugio indiguisse Deum, unde Filium generaret, « Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum. » Hodie cor tuum, o homo, generat consilium, nec quærit uxorem: per consilium natum ex corde tuo ædificas aliquid; et illa fabrica, antequam stet in opere, stat in consilio; et inest jam quod factururus es, in eo per quod factururus es: et laudas fabricam nondum existentem, nondum in specie ædificii, sed in prolotione consilii; nec laudat alius consilium tuum, nisi aut indicaveris, aut viderit quod fecisti. Ergo si per Verbum omnia, et Verbum de Deo; inspicere fabricam factam per Verbum, et ex isto ædificio mirare consilium. Quale Verbum est per quod factum est coelum et terra, et omnis ornatus coeli, omnis foecunditas terræ, diffusio maris, distensio aëris, fulgor siderum, claritas solis et lunæ? Videntur hæc: transcende et hæc, cogita Angelos, Principatus, Sedes, Dominationes, Potestates: « Omnia per ipsum facta sunt. » Unde ergo ista bona facta sunt? Quia eructatum est per quod fierent, « Verbum bonum. » Ergo Verbum bonum: et ipsi Verbo

<sup>1</sup> Psal. XLIV, 2.

dictum est, « Magister bone. » Et ipsum Verbum respondit: « Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi » unus Deus<sup>1</sup>. » Dictum est, « Magister bone; » et dicit: « Quid me interrogas de bono? » Addidit etiam, « Nemo » bonus, nisi unus Deus. » Quomodo ergo et ipse bonus, nisi quia Deus? Non solum autem Deus, sed cum Patre unus Deus. Non enim dicendo: « Nemo bonus, nisi unus » Deus, » discrevit se, sed univit. « Eructavit cor meum » verbum bonum. » Dixit hoc Deus Pater de Verbo suo bono atque benefico bono nostro, per quod solum bonum utcumque boni esse possumus.

V. Sequitur, « Dico ego opera mea regi. » Adhuc Pater loquitur? Si adhuc Pater loquitur, quæramus et hoc quomodo secundum fidem veram et catholicam intelligamus, « Dico ego opera mea regi. » Si enim Pater dicit opera sua Filio suo regi nostro; quæ opera Pater dicturus est Filio, cum omnia opera Patris per Filium facta sint? An forte, « Dico ego opera mea regi, » ipsum « Dico, » generationem Filii significat? Vereor ne hoc aliquando a tardioribus non possit intelligi: verumtamen dicam; sequatur qui potest, ne non dicto non sequatur et qui potest. Legimus in alio Psalmo dictum, « Semel locutus est » Deus<sup>2</sup>. » Toties locutus est per Prophetas, toties per Apostolos, hodieque loquitur per sanctos suos, et ait: « Semel locutus est Deus. » Unde semel locutus est, nisi propter Verbum unum? Sicut autem « Eructavit cor » meum verbum bonum, » intelleximus ibi generationem Filii: veluti repetitio mihi videtur facta in consequenti sententia, ut illud quod dictum erat, « Eructavit » cor meum verbum bonum, » repeteretur in eo quod ait: « Dico. » Quid est enim, « Dico?» Verbum profero. Et unde profert Deus verbum, nisi ex corde suo, ex in-

<sup>1</sup> Matth. XIX, 17, et Marc. X, 18. — <sup>2</sup> Psal. LXXI, 12.

timo suo? Tu non dicis nisi quod ex corde tuo profers; verbum tuum quod sonat et transit, aliunde non profertur; et miraris, quia ita dicit Deus? Sed dicere Dei æternum est. Tu dicis aliquid modo, quia tacebas paulo ante: vel ecce nunc nondum verbum profers, cum autem proferre cœperis, rumpis silentium quodam modo, et generas verbum quod antea non erat. Nunc sic Deus genuit Verbum: dicere Dei sine initio est, et sine fine; et tamen unum Verbum dicit. Dicat alterum, si quod dixit transierit. Cum vero et a quo dicitur manet, et quod dicitur manet, et semel dicitur et non finitur; et ipsum semel sine initio dicitur, nec bis dicitur, quia non transit quod semel dicitur. Hoc est ergo, « Eructavit ex meum verbum » bonum: » quod est, « Dico ego opera mea regi. » Quare ergo, « Opera mea dico? Quia in ipso verbo omnia opera Dei. Quidquid enim facturus erat Deus in creatura, jam in Verbo erat; nec esset in rebus, nisi esset in Verbo: quomodo et in te non esset in fabrica, nisi esset in consilio. Sicut in Evangelio dicitur, « Quod factum est in » ipso vita erat<sup>1</sup>. » Erat ergo quod factum est, sed in Verbo erat: et omnia opera Dei ibi erant, et opera nondum erant: Sed Verbum erat, et Verbum hoc Deus erat, et apud Deum erat, et Filius Dei erat, et cum Patre unus Deus erat, « Dico ego opera mea regi. » Audiatur dicentem, qui Verbum intelligit; et videat cum Patre sempiternum Verbum, in quo sunt etiam quæ futura sunt, in quo non abierunt et quæ transierunt. Hæc opera Dei in Verbo, tanquam in Verbo, tanquam in Unigenito, tanquam in Dei Verbo.

VI. Quid ego sequitur? « Lingua mea calamus scribæ, » velociter scribentis<sup>2</sup>. » Quid simile, fratres mei, qui habet simile lingua Dei cum calamo scribæ? Quid habet si-

<sup>1</sup> Joan. 1, 3. — <sup>2</sup> Psal. XLIV, 2.

mile petra cum Christo<sup>1</sup>; quid habet simile agnus cum Salvatore<sup>2</sup>? quid habet leo cum Unigeniti fortitudine<sup>3</sup>? Dicta sunt hæc tamen: et nisi dicerentur, non aliquo modo per hæc visibilia ad invisibilem informaremur. Sic ergo humilem similitudinem calami hujus, nec comparemus illi excellentiæ, nec tamen respuamus. Quæro enim quare linguam suam calamum dixit esse scribæ velociter scribentis? At vero quantumvis velociter scribat scriba, non comparatur illi velocitati, de qua dicit alius Psalmus: « Usque » in velocitatem currit verbum ejus<sup>4</sup>. » Sed mihi videtur, quantum audet humana intelligentia, et hoc posse accipi ex persona Patris dictum, « Lingua mea calamus scribæ. » Quia quod lingua dicitur, sonat et transit; quod scribitur, manet: cum ergo dicat Deus Verbum, et Verbum quod dicitur non sonet et transeat, sed et dicatur et maneat; scriptis hoc maluit Deus comparare, quam sonis. Quod autem addidit, « Velociter scribentis, » impulit mentem ad intelligentiam: sed non pigra remaneat, respiciendo antiquarios, aut respiciendo qualeslibet veloces notarios: si autem hoc attenderit, remanebit ibi. Ipsum « Velociter, » cogitet velociter; et videat quare dictum sit, « Velociter. » Velociter Dei tale est, ut velocius nihil sit. In Scripturis enim scribitur littera post litteram, syllaba post syllabam, verbum post verbum; nec ad secundum transitur, nisi primo præscripto. Ibi autem nihil velocius, ubi non multa sunt verba, nec tamen aliquid prætermisum est, cum in uno sint omnia.

VII. Ecce jam Verbum illud sic prolatum, æternum, ab æterno coæternum, veniet sponsus. « Speciosus forma » præ filiis hominum<sup>5</sup>. Præ filiis hominum: » quare non et præ Angelis? quid voluit dicere, « Præ filiis homi-

<sup>1</sup> 1 Cor. x, 4. — <sup>2</sup> Joan. 1, 29. — <sup>3</sup> Apoc. v, 5. — <sup>4</sup> Psal. CXLVII, 15. — <sup>5</sup> Id. XXIV, 3.

» num, » nisi quia homo? Ne hominem Christum quemlibet hominem putares, ait, « Præ filiis hominum speciosus forma. » Etiam homo præ filiis hominum; etiam inter filios hominum, præ filiis hominum; etiam ex filiis hominum, præ filiis hominum. « Diffusa est gratia in labiis tuis. » Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est<sup>1</sup>. « Diffusa est gratia in labiis tuis. » Merito mihi subventum est, « Quia condecorator legi Dei secundum interiorem hominem? Sed alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ, et captivum me ducit in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum<sup>2</sup>. Diffusa est ergo gratia in labiis tuis. » Venit nobis cum verbo gratiæ, cum osculo gratiæ. Quid ista gratia dulcius? Quo pertinet gratia ista? « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata<sup>3</sup>. » Si severus iudex veniret, nec afferret istam gratiam diffusam in labiis suis, quis de salute aliquid speraret? Quis non sibi hoc timeret quod peccatori debebatur? Ille veniens cum gratia, non exegit quod debebatur, solvit quod non debebat. Num enim non peccator debebat mortem? Aut vero tibi peccatori debebatur, nisi supplicium? Debita tua dimisit, et indebita sua exolvit. Magna gratia. Quare gratia? Quia gratis. Propterea tibi gratias agere licet, referre non licet; non enim potes. Quærebat ille quid retribuere, et dixit: « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » et invenit quasi aliquid, « Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo<sup>4</sup>. » Hoc illi rependis, quia calicem salutaris accipis, et nomen Domini invocas? Quis tibi dedit ipsum calicem salutarem?

<sup>1</sup> Joan. I, 17. — <sup>2</sup> Rom. VII, 22-25. — <sup>3</sup> Psal. XXXI, 1. — <sup>4</sup> Id. CXV, 12, 13.

Remansit in actione gratiarum, nam in relatione defecit. Inveni quid Deo des, quod ab illo non acceperis; et retuleris gratiam. Sed cave ne, dum quæris quid illi retribuas, quod ab illo non acceperis invenias, sed peccatum tuum. Hoc plane ab illo non accepisti, sed nec ei dare debes. Hoc dederunt Judæi, retribuerunt mala pro bonis: acceperunt ab eo pluviam, et fructum non dederunt, sed spinas dolorum<sup>1</sup>. Ergo bonum quidquid volueris in te dare Deo, non te invenis accepisse nisi a Deo. Ipsa est gratia Dei diffusa in labiis. Fecit te, gratis te fecit. Non enim erat cui præstaret antequam faceret. Perieras, quæsivit te; et inventum revocavit te. Præterita non imputavit, futura promisit. Vere, « Diffusa est gratia in labiis tuis. »

VIII. « Propterea, inquit, benedixit te Deus in æternum. » Laboratur, ut hoc possit intelligi adhuc a Deo Patre dici, « Propterea benedixit te Deus in æternum. » Accommodatius videtur hoc accipi ex persona Prophetæ. Et mutationes personarum repentinæ, et omnino ex improviso, inveniuntur in sanctis Scripturarum libris; et si quis advertat, plenæ sunt paginæ divinæ: « Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa, » et statim, « Quid detur tibi, aut quid adjiciatur tibi adversus linguam subdolum? » Alia illic persona erat, alia hic: ibi petentis, hic subvenientis. « Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vastatoriis. » Alia persona est, « Quid detur tibi, aut quid adjiciatur tibi: » et in consequentibus fit alia, « Heu me, quia incolatus meus longinquus factus est<sup>2</sup>. » In paucis versibus tam crebra mutatio personarum intellectum admonet: non exprimit locum ubi mutatur, non dicitur: Hoc dixit homo, hoc dixit Deus: sed ex ipsis verbis fit nobis intelligere quid ad hominem pertineat, quid ad Deum. Homo autem dicebat:

<sup>1</sup> Matth. XXV, 29. — <sup>2</sup> Psal. CXIX, 2-5.